

1/2000

IDIBVS IVNIIS

MM

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
IDIBVS

TOMVS 23

FASC. 132

PRÆFATIO

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:
Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam
RVMOR VARIVS ,c/o **aeschlimann publicity**
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:
Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS ,c/o **aeschlimann publicity**
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg
INTERNET:
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com
Homepage:
http://www.friends.bbb.ch/macliga/rumor_varius

Institutum pecuniarium:
UBS, Zürich-Oerlikon
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

Amicae et amici nostri!

Etiam post transitum ad annum 2000 mundus non interiit, et RUMOREM VARIUM quoque adhuc vivere videtis! Nonnumquam non fixis intervallis apparuit, (magna parte ex symbolis dependebat, quas legentes nobis miserunt aut non miserunt!) sed apparet et – ut speramus – deis immortalibus adiuvantibus porro apparebit.

Hoc libello duas symbolas edere incipimus, quarum partes plures in libellis sequentibus huius anni legere poteritis. Forsitan quaeritis, quid sit de 'Historia Agathonis', cuius partem primam in libello 5+6/99 legistis. Ad haec auctor, Nicolaus Gross, nobis scripsist:

"Fasciculum RUMORIS VARII 131 accepi; plurimas gratias vobis ago, quod primam partem 'Agathonis' divulgastis. At ne expectetis, quaeso, partes sequentes. Nam interim editores LATINITATIS Vaticani contra opinionem, post longum silentium, mihi plagula iam missa scripserunt se velle Agathonem publicare. Ne eadem symbola duobus in commentariis edatur, vobis nunc aliam mittam (quam non peiorem esse puto): Ecce 'Thilum custodem ferriviae', fabulam Gerharti Hauptmann excellentissimam e Theodisco sermone in Latinum conversam et his litteris subiunctam. Rogo vos, ut hanc versionem in fasciculis RUMORIS VARII publicetis."

Etiamsi dolemus, quod partes sequentes 'Agathonis' vobis, cari legentes, offerre non possumus, libenter fabulam de 'Thilum' publicamus, quae re vera iucunda et digna lectu nobis videatur.

Praeterea primam partem relationis historicae de anno sancto, qui dicitur, ecclesiae catholicae legere poteritis: Quomodo et cui fini a papis introductus, quando celebratus vel quibus de causis interdum non actus sit. Bene et laudabile factum est, ut ecclesia hoc anno se ipsam paenitentiae non exceperit, sed confessa sit socios suos quoque errores horribiles commisisse, sive hac aetate, sive saeculis prioribus.

Vos alias quoque symbolas huius libelli magno cum gaudio lecturos esse speramus.

Valete!



Daniel Weissmann

'Non licet homini omnia intellegere'

Est enim in maiore Britannia, quam Angliam dicimus, villa suburbana *Ibichunn* nomine, in qua sub monticuli cuiusdam radice aqua profluit dulcissima. In huius ripa putei numero pauci distenduntur, quorum profunditas modica, et aqua salsissima, cum in cacabis aqua bullitur, densescit in salem albissimum. Fertur, quod ab universa provincia a nativitate Domini usque ad nativitatem sancti Johannis Baptistae salsissima scaturit aqua: per alteram anni partem subdulcis prorumpit et ad salem inutilis; et quod mirabilius arbitratur, cum ad usum salis aqua prorumpit opportuna, si non hauritur, supereffluit. Cum dulcescit ad alteram anni partem, vix superexcrecit, et cum tempus advenit salsuginis, nec a vicinitate frangitur aquae fluvialis: nec in aliqua proipinquitate maris invenitur, aut cuiusvis salsitatis contagium; cum sit illa provincia fluviis fontibusque irriguis spatiosa.

Etiam in Anglia stagnum est, quod vulgo *Wlferesimere*, quasi mare *Wlfen* Regis nominatur, quod cum omnibus piscantibus passim exponitur, piscibus abundat: cum homines ab eius piscatione arctantur, aut rarus in illo aut nullus piscis invenitur. Est in eadem regione *Havingemere*, quod si quis navigans, dum transit, praeclamaverit, *prout havingemere* aut *allethophe cunthesere*, statim correptus subita tempestate submergitur cum navigio. Sonant autem haec in Latina lingua opprobrium, acsi dicatur stagno illi, quod vocatur *Havingemere*, id est mare *Havingi*. Angli siquidem, ut *Ebraei*, omnem aquarum cursum mare dicunt. Unde mare *Tiberiadis* dicitur. *Phrut* Tibi, mare et omnibus, qui te transfretant. Et satis mirandum, quod aquae huiusmodi concipiunt indignationes.

Est in Gallis, provincia *Narbonensi*, vicus *Alingenius* nomine, in quo duo sunt fontes, quorum unus nunquam aliquid coquit, alterius aqua nunquam bullit. Eadem in regione, episcopatu *Uticensi*, est fons in quem si quid sordidum miseris, statim fons scaturiginem suam mutat, et priorem locum deserit. Etiam in *Narbonensi* provincia, *Lodovensi* episcopatu, est fons apud *spaniatum*, qui tempore metendorum et adaquandorum pratorum, ad pratum quoddam irrigendum scaturit affluenter, et post eiusdem prati tonsionem statim arescit et non apparet.

In provincia *Arelatensi* ad confinium *Massiliae* est castrum *Caesaresta*, in cuius finibus est fons, qui una tantum hora scaturiens quotidie, mare ingreditur. Est in provincia *Ebredunensi*, quae pars est regni *Arelatensis*, castrum de *Barles*, in cuius territorio fons scaturit, ex cuius aquae potu et lavacro curantur gutturnosi. Sunt et in regno *Arelatensi* plurimi fontes, qui aestate fervente scaturiunt, hieme vero siccantur. Insigne mirabile in regno *Arelatensi*, comitatu *Aquense*, villa *Camps*, territorio *Argentino*, est fons, qui repentina ebullitione prodit, in quo lavatur; et post modicum, cum respicitur locus scaturiginis, nullum prorsus fontis apparet vestigium usque adeo, quod etsi signum baculi aut pallii pro nota dimiseris, nec baculum nec pallium reperies, nisi forte post aliquot dies, et sub eodem casu. Est etiam fons quidam pellucidus, in quem, si lapidem vel lignum aut huiusmodi materiam proieceris, statim de fonte pluvia ascendit, quae proicientem totum humectat. In eodem regno, dioecesi *Vapicensi*, est castrum *Cerseules*, in cuius castris territorio lacus altae profunditatis excrevit. Sane in lacus medio crusta pratum fecit, quae per anni circulum ab hominum attactu libera, tempore herbae tondendae, applicitis restibus, ad terram trahitur lacui imminentem, et sic defalcata sectiones recipit. Inter plurimos cohaeredes facta itaque congrua divisione, solutis funibus crusta redit in id ipsum, quo fuerat, meditullium lacus occupatura.

Haec *Gervasius* saeculo XII^o in libro suo, qui *Otia imperialia* inscribitur, memoravit, ut miretur imperfectio nostra, quod propter ignorantiam infirmitatis nostrae exsolvere non sufficimus. Infideles enim homines, cum divina, ut ait *Augustinus*, vel praeterita vel futura miracula praedicamus, quae illis expedienda non valemus ostendere, rationem a nobis flagitant, quam reddere non sufficimus. Excedunt quippe vires mentis humanae, ideoque aestimant falsa plerumque, quae dicimus, cum de his etiam, quae quotidiana videmus, ipsi reddere rationem non possint.

De leone pio facto

In Africa leo sacerdotem missionarium ambulans opprimens aggressus est. Sacerdos fuga salutem petivit et ad vitam servandam omnibus viribus cucurrit. Leo fugientem sectans magis magisque appropinquavit. Denique, cum leo iam saltum in praedam daturus erat, sacerdos in extremis constitit, in genua procubuit et precatus est: "O domine, redde hunc leonem pium!"

Statim leo saltum iam incohatum suppressit, etiam in genua procubuit et pedes anteriores ad orandum iunxit. Missionarius timore sudans, sed animo levatus et putans se pericula effugisse surrexit et deo gratias agere voluit, cum leonem precantem audivit: "Veni, Domine Iesu, sis conviva meus et benedicas cenam, quam mihi praebuisti!"

Daniel Weissmann

Facete lepideque dicta Caledonica

In commentariis diurnis Caledonicis leguntur haec: "Venalis prostat cippus bene ornatus cuius nomen Stewart McPatrick habenti destinatus."

cippus, -i (m): Grabstein

Caledonius quidam domi noctu librum legit. Sexta quaque minuta lumen exstinguit. Amico ex ipso quaerenti, cur ita agat, respondet: "Constat me lumine exstincto folia vertere posse!"

Baiulus collegae: "Domino McDonald duos riscos gravissimos portavi. Cum domum eius attigissemus, mihi aliquid dedit dicens: „Sume, habeas, quo caffeam sorbillare possis!“ – "Bene tibi! Quantum tibi dedit?" – "Particulam sacchari!"

baiulus, - (m): Gepäckträger / riscus, -i (m): Koffer / saccharum, -i (n): Zucker

Filius McMoney iunior nummum forte hausit. Tunc mater excitata marito: "Nonne doctorem Smith medicum adeamus?" Ad quae maritus: "Certe! Ille doctor Smith homo sincerus est."

McDuff nepoti epistolam scribit verbis his: "Optima tibi quaeque exopto in diem natalem decimum, undecimum, duodecimum, decimum tertium nec non decimum quartum."

Iohannes Caledonius Thomae amico aegre ferenti obviam it. "Quid tibi, amice?", interrogat. Tunc ille: "Associatio nostra pedifollica hodie diem natalem quinquagesimum celebrare voluit, sed nunc dissoluta est." – "Cur hoc?" – "Quod follis nescio qua causa deletus est."

associatio pedifollica, -ionis -ae (f): Fussballverein / follis, -is (m): Ball

McNepp ad taxiraedarium: "Quanti constat iter ad stationem ferrivariam?" – "Decem francorum, domine." – "Et quid sarcinis solvendum est?" – "Sarcinae gratis transportantur." – "Bene tum res se habet, mi taxiraedari: Transporta sarcinas meas ad stationem, equidem pedibus sequar."

taxiraedarius, -i (m): Taxifahrer / statio ferriviaria, -ionis -ae (f): Bahnhof / francus, -i (m): Franken (Währung) / sarcinae, -arum (f/pl.t.): Gepäck / taxiraeda, -ae (f): Taxi

McNamara tonsori: "Haud iustum est, quod mihi semicalvo idem pretium solvendum est ac ceteris clientibus tuis." Ad quae tonsor: "Tibi pretium non tondendi, sed quaerendi solvendum est, mi domine!"

tonsor, -oris (m): Coiffeur

Nuntius horribilis e Caledonia oriundus: *Taxiraeda muro collisit, decem homines perierunt.*

Caledonius muscipulam emit, sed pro caseo photographema tantum casei affigit. Crastino die bene mane photographema muris in muscipula invenit.

muscipula, -ae (f): Mausefalle / photographema, -atis (n): Photo(graphie)

Caledonius uxori: "Barometrum emi, corcule." Tunc uxor: "Vae tibi, largitor! Cur rheumatismum tuum habes?"

Martin Meier

De ecclesiae catholicae annis sanctis

Relationis pars prima

Forsitan, lectores dilectissimi, iam scitis hunc annum bismillesimum annum specialem esse. Inter vulgus et mathematicos maxime disputatur, utrum millennium tertium iam coeperit an non. Si rationem mathematicam sequimur, res bene distingui potest: Primum decennium ab anno primo usque ad annum decimum completum durat. Inde primum saeculum ab anno primo usque ad annum centesimum completum, primum millennium ab anno primo usque ad annum millesimum completum durat. Sic fit, ut annus bismillesimus secundo millennio sit atque tertium millennium non ante Kalendas Ianuarias anni bismillesimi primi incipiat.

Tales autem cogitationes mihi minimi esse videntur. Maioris momenti est nos annos nostros a Christo nato numerare, etsi hodie monachum quendam aliquando in inquirendo anno Iesu Christi natali errorem commisisse atque annum falsum inquisivisse constat. Nihilominus in unoquoque anno numerando Christum dominum temporum esse clam confitemur.

Ecclesia catholica secundum morem priscum vicesimo sexto quoque anno annum sanctum, qui dicitur, celebrat. Quibus annis sanctis homines specialiter invitantur ad metanoian, i.e. ad commutationem animi, ad paenitentiam agendam, ad aliis ignoscendum. Christifideles catholici his annis sanctis indulgentias¹ speciales sibi defunctisque acquirere possunt.

Quando vero primus horum annorum sanctorum celebratus est? Quae sunt causae et origines illorum annorum? Quo modo iubilaea temporibus longe remotis celebrata sunt? De his quaestionibus vos, lectores carissimi, certiores facere in animo habeo.

Anno 1300°: Primum iubilaeum celebratur

Primum iubilaeum Christianum a Bonifatio papa VIII. anno 1300° introductum est. Quo decreto peregrinatio Romana ad sancti Petri Paulique apostolorum sepulcra inclaruit. Cum eo anno 1300° supra modum multi peregrinatores sanctae Veronicae simulacrum visendi causa Romam confluxissent, Bonifatus papa decrevit, ut centesimo primo quoque anno iubilaeum esset atque indulgentiae¹ speciales praeberentur.

Anno 1350°: Iubilaeum sine papa

Anno 1343° delegatio Romana quaedam Avennionem petivit, ut Clementem papam VI. rogaret, ut anno 1350° iubilaeum extraordinarium indicaret (papae enim tunc temporis Avennionem sedem habebant). Legitur enim in sacra scriptura, in libro Levitici, Israelitanis quinquagesimo primo quoque anno iubilaeum esse celebrandum. Praeterea Romani propter absentiam papae tam diuturnam sollicitati iubilaeo ad papae reditum uti in animo habebant. Clemens autem ut iubilaeum indicavit et indulgentias¹ speciales eis praebeuit, qui vel apostolorum sepulcra vel ecclesiam Lateranensem sancto Iohanni dedicatam visitarent, ita Romam redire causis politicis nequibat.

Anno 1390°: Iubilaeum spatium temporale novum accipit

Anno 1378° magnum schisma occidentale, quod dicitur, initium cepit. Duo vel plures papae simul regnabant. Urbanus papa VI. novum intervallum iubilaeorum introducere voluerat: tricesimo quarto quoque anno iubilaeum celebrare volebat, quod Iesus Christus triginta tres annos inter homines vixerat. Sed cum ille obiret, priusquam inceptum perficere posset, successor eius, Bonifatus papa IX., in annum 1390um iubilaeum indixit. Hac vice ad adipiscendas indulgentias¹ etiam ecclesiam sanctae Mariae maiorem adire licebat.

Anno 1400°: Peregrinatio paenitentiae

Idem Bonifatus papa IX. autem voluit anno 1400° denuo iubilaeum fore, ut intervallum quinquaginta annorum olim decretum restitueretur. Cum autem Avennionem contrapapa regnaret, Christifideles Francogalli Hispanique iubilaeum non participabant, quod contrapapae Avennionensis sectatores erant. Qui autem papae vero obtemperabant, peregrinationem paenitentiae Romam susceperunt, ut pax et unitas intra ecclesiam reintegrarentur. Ad indulgentias¹ acquirendas Bonifatus permisit, ut non dictae ecclesiae tantum, sed etiam ecclesia sancti Laurentii extra muros sita, ecclesia sanctae Mariae trans Tiberim sita ecclesiae sanctae Mariae rotunda adirentur.

Martin Meier

1) indulgentiae,-arum (pl.t.): Ablass

Aenigma

Dido mulier Tyria in Africa patriam novam petit

Vergilius poeta nobis multa de Carthaginis regina nomine Dido narrat. Sed ante Aeneae adventum mulier illa ipsa profuga erat. Dido, cum Pygmalion, rex Tyriorum, coniugem eius necavisset, urbem Tyrum reliquit.



Didonis imago in urbe Pompeiorum inventa

Magna rerum copia in naves imposita cum comitibus de patria decessit, ut loca a periculis tuta peteret. Cum Africae litus adierunt, magnus numerus incolarum eis occurrerunt, a quibus auxilium quaesiverunt. Amicitiam cum hominibus nationis huius fecerunt, sed loca ad quietem idonea eis non erant. Itaque Dido ab incolis emit locum, qui corio bovis tegi posset, nam comites laboribus confecti quieti se dare debebant. Quod corium decem pedes longum et octo pedes la-

tum in tenuissimas partes secatum est. Hoc modo Tyrii spatium maius quam ab incolis petiverant obtinuerunt.

Locus ille Byrsa, id est corium, nominatus est. Deinde Tyrii donis ab Uticae incolis acceptis in loco eo Carthaginem condiderunt. Urbs illa ab Utica duo et viginti milia pasuum aberat. Carthaginienses (vel Poeni) sescentis fere post annis in Africa partes primas egerunt.

Barbara Maier

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. arbor quaedam (Dat. sg.)
2. amatas vel dilectas
3. neque erant neque sunt, sed.....
4. parvae bestiae virides in stagnis vitam agentes
5. magnus fluvius in Pontum Euxinum influens


Daniel Weissmann

Fluctuat nec mergitur

Olim antiqui homines duos truncos religare cogitaverunt et prima navis nata est. Priscarum navium genera sunt tria:

1. simplices alvei, qui e trunco excavato igni aut securi confecti erant
e. g.
2. rates e balsa aut e scirpo
e.g.
3. naves pellibus tectae, quae antea verisimiliter fasce scirporum constitutae erant.
e. g.

Tria genera navium hoc in velo quadrato latent. Quorum nomina deorsum aut ad libram legi possunt, si litteras inutiles in tabula infra obscuras. Parva area quadrata nunquam duas litteras rectas praebet. Elige litteram unam aut nullam ! Non sunt litterae D-F-G-H-M-O-P-Q-X-Y in vocabulis inveniendis. Deinde navium nomina secundum genera 1, 2 et 3 in punctis inscribe !



A N
A T T
H O O

S O S T
V T A I M
R V N T V
V A E R T A G O S V L I I P A S P A D I O R M E
T A R A E T A N V I S V R I L I V R E R Y S I T
I C A C L E V O I M Y S A R E T A P L E H A I R
A I S S O M A R T V R A C V X P E L O T R D D I
S L I A M N A O P R B E A S A N S V S L V S V T
I N E V E N T R F O R V N D I D G N O P P O S R
T O P A G S V Y E D O M V I S R A M L I O M V O
O M I R T I S S S N A Z Y B A I V S I S T A G P

S V I D O V S T I V M H O R T E S R O T
N A E L C A R E P G A D

S V
L A S
L A S
I L A E
A S I M
A L V L
O R M E
S I T
R
D D I
T
S V T
S R
V O
P
G P
R O T

Non Romani velum quadratum introduxerunt
sed

Inter fluvialium portuum urbiumque mari-
timarum nomina in carina supra inscripta
litteras ad sententiam complendam invenies.
Nomina, dati exempli instar, possunt sequi ad
libram (dextrorsum aut sinistrorsum) aut ad
perpendicularum (sursum aut deorsum),
nunquam oblique.

VOCABULA INVENIENDA

ALEXANDRIA
ALLALIA
ALSIVM
-ANTIOCHA-
BRVNDISIVM
BYZANTIVM
CARTHAGONOVA
DELLOS
FORVM IVLI
GADES
HERACLEA

LEPTIS MAGNA
MASSILIA
OCESSVS
OLISIPPO
OSTIA
PORTVS ITIVS
PIRAEVS
PORTVS MAGNVS
PORTVS VLTERIOR
RAVENNA
RHYSADDIR
FOTOMAGVS
SIDON
SINOPE
SYRACVSAE
TARENTVM
TELMESSVS
TELO MARTIVS
TOMI
TYRVS
VTICA

Qui primum naves e papyro construxerunt. Circa annum 2500 a. C. n.
nauegi tabellis brevibus et angustis ex arboribus solis quae in Nili
Delta crescebant usi sunt: eae sunt

..... et
8 3 8 3 2 8 1 4 5 3 6 7 6 9 2

Indiciis datis
sententiam
complendam est.
Idem numerus
semper eidem
litterae respondet.

N A [] [] V I [] [] S
2 8

a) ortus

[] N A [] [] V I S [] []
1 9 9 8 1 4

b) explanavistis

N [] [] [] [] A [] [] V I S
5 3 6 4 9 1

c) vigilibus imperat (abl. pl ; v=u)

[] [] N [] [] A V I S [] []
7 1 2 3 2

d) manum ad stipem porrexisti

[] [] N [] A V I [] [] S
3 6 3 8

e) ≠ convexitas

[] [] N A [] V [] I S
4 2 3

f) anulis (v=u)

[] [] [] [] N A V I S [] []
2 7 8 2 2

g) cogitatione depinxisti

[] [] N A V I [] [] S
6 9 4 2

h) decoravistis

Stella GITTA

SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis (omnino XIV fuerunt) sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:

Dr. Peter Litwan
Sevogelstr. 49
4052 Basel

P. Maximilian Sauge
Cordeliers / CP 16
1702 Fribourg

Fritz Wille
Tannenweg 11
3073 Gümliigen

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

1	2	3	4	5	6	7	8	9															
S	A	G	I	T	T	A	R	I	O														
10	E	R	O	S	11	I	C	E	N	S													
12	M	I	R	E	N	T	U	R	13	C													
13	P	E	G	A	S	I	14	U	S	15	U												
16	I	T	O	17	M	E	L	18	T	E	N	E	R	A	M	23	D	A					
24	E	M	I	N	A	R	E	T	U	R	25	R	N	E	M	O	26	C	E				
27	28	N	A	V	I	T	A	29	V	I	R	30	U	N	G	U	I	N	E	31	32	T	I
33	S	A	R	M	A	T	I	C	O	S													

DE THILO CUSTODE FERRIVIAE

Studiolum novellisticum anno 1887 a Gerhart HAUPTMANN
Theodisce scriptum ("Bahnwärter Thiel") et anno 1997 a
Nicolao GROSS Germano Coreanensi in Latinum conversum

Narrationis pars prima

I

Omni die Dominico Thilus custos ferriviae sedit in ecclesia vici *Neu-Zittau*, exceptis iis diebus, quibus officio functus est aut aegrotus lecto tentus. Spatio decem annorum bis aegrotaverat: primo propter carbonem e carro carbonario machinae vectoriae elapsum, quo ictus pede diffracto deiectus erat in fossam ferrivariam: iterum propter lagoenam vinariam, quae e citato tramine praetercurrente proiecta erat medium in Thili pectus. Praeter haec infortunia, quandocumque vacuus, nulla re ab ecclesia prohibitus est.

Prioribus quinque annis ei soli eundum fuerat a *Schön-Schornstein*, colonia ad Spraviam sita, ad *Neu-Zittau*. Aliquo die Thilus apparuerat comitante muliercula tenui atque imbecilla, quae diceretur parum quadrare ad Thili staturam Herculeam. Altero laeto die Dominico eidem mulieri ad altare ecclesiae sollemniter manum dedit ad foedus in vitam faciendum. Per duos autem annos iuvenis femina tenera iuxta eum sederat in scamno ecclesiae; per duos annos eadem subtili facie, malis macilentis, iuxta virum facie colorata insignem inspexerat cantualem librum pervetustum - ; cum subito custos ferriviae denuo solus sedit, ut antea. Aliquo e diebus praeteritis sonuerat campana funebris; ita factum erat. In custode affirmatum est vix aliquid mutatum esse. Botones puri vestimenti Dominici tam bene nitidati erant quam umquam antea, capilli eius rufi tam bene oleati militarique more sulcati quam semper, praeter id, quod latam cervicem capillatam aliquanto demissius ferebat etiamque studiosius homiliam auscultabat et cantabat quam prius haec fecerat. Itaque res erat in ea opinione, ut homines putarent Thilum mortem uxoris non nimis molliter tulisse; quae opinio eo firmata est, quod idem anno transacto iterum mulierem duxit, mulierem enim crassam et robustam, bubulcam e vico *Altegrund* oriundam.

Ipsa parochus sibi visus est quadamtenus dubitare de connubio a Thilo annuntiato:

"Nuncin' iam vis alteram mulierem ducere?"

"Cum mortua non possum curare rem familiarem, Domine praedicator!"

"Hem, recte quidem. Sed opinor - paululo nimium festinas."

"Alioquin puer mihi peribit, Domine praedicator."

Uxor Thili ex partu perierat et puer, quem pepererat, superstes appellatus erat Tobias.

Parochus *"Ah"* inquit *"ita, ille puer"*, sic se movens, ut clare appareret se nunc demum puerum recordari. *"Si res sic se habet - ubinam tenes eum collocatum, dum officium geris?"*-

Nunc Thilus narravit, quomodo Tobiam tradidisset aniculae, quae, qua esset negligentia, eum aliquando paene sivisset comburi, alias eum ex aniculae gremio humum devolutum esse, sed feliciter factum, ut praeter magnum tuber nullum damnum contraheret. Talia ne pergerent fieri, Thilus dixit, praesertim cum puer pro sua imbecillitate cura egeret diligentissima. Quae cum ita essent et cum ipse uxori moriturae dextram fidemque dedisset se pueri saluti semper optime prospecturum esse, se hoc consilium cepisse.

Novum par coniugale, quod nunc omni die Dominico ad ecclesiam veniebat, ab hominibus, quantum pertinuit ad formam, nullo modo reprobatum est. Mulier prius opere bubulcae functa ad custodem videbatur esse aptissima. Vix dimidio capite brevior erat quam custos eundemque membrorum amplitudine superavit. Facies quoque mulieris tam solida erat quam viri, sed contra ac facies custodis nullum indicavit sensum humanitatis.

Si Thilus optaverat, ut uxor sua altera esset operaria durissima et oeconomia praestantissima, hoc optatum mirum in modum est expletum. At idem nescius una cum muliere tria susceperat: animum durum dominandique cupidum, rixandi cupiditatem, saevamque lubidinem.

Dimidio anno transacto toto in vico notum erat, quis in domuncula custodis regimen teneret. Feliciter *"Megaerae"* successisse, ut maritum acciperet Thilum agno mansuetiorem, mariti dicebant indignati, esse quosdam, a quibus illa atrocissime offenderetur. Talem quidem *"excetram"* domandam esse, ni aliter, verberando. Mulcandam esse istam, ita quidem, ut doleret.

Sed Thilus, quamvis esset brachiis nervosis, non erat talis vir, ut mulcaret mulierem. Id, de quo homines indignabantur, ei parum molestum esse videbatur. Thilus convicia uxoris infinita tacitus sinebat praeterfluere, si quando respondebat, sermonis tarda progressio et sonus submissus frigidusque mirum in modum discrepabant ab uxoris voce scissa et rabiosa.

A rebus externis is parum infestari posse videbatur, quasi quid sibi esset, quo omnia mala ab iis illata large compensarentur bonis.

Adversus animi sui lentitudinem invictam quibusdam momentis temporis ipse custos indignabatur. Quae momenta semper pertinuerunt ad Tobium. Tum custos loco solitae innocentiae puerilis et obsequentiae tanta erat firmitate, ut ipsa Lena dominandi cupida non auderet resistere. Sed momenta temporis, quibus Thilus hanc indolem animi sui panderet, etiam atque etiam rariora denique prorsus non iam fuerunt.

Cum primo anno quadam eum patientia restitisset Lenae cupidini dominandi, altero anno idem desiit hoc facere. Non iam solita cum animi aequitate profectus est ad officium gerendum, cum illa in se invecta esset, nisi antea eam placaverat. Denique haud raro se demittebat ad eam rogandam, ut sibi reconciliaretur. - Statio custodiae media in silva pinuum Marchiensi sita non iam erat sedes ei dilectissima. Quandoque tranquillam et devotam colebat memoriam uxoris mortuae, subito interruptus commonefiebat uxoris viventis. Non refragans, ut primo tempore, domum profectus est, sed festinanti cum cupiditate, postquam saepe numeraverat horas et minutas usque ad officium absolvendum.

Idem, qui cum prima uxore coniunctus erat amore magis spirituali, immanibus lubidinibus redactus est in potestatem uxoris alterius, ut denique eidem mulieri omnibus fere in rebus fieret prorsus obnoxius. - Interdum propter res sic mutatas conscientia morsus egebat variis subsidiis extraordinariis, quibus se consolaretur. Ita casulam suam custodiarum ferriviamque a se curandam clam declaravit terram sanctam, quae nemini dedicata esset nisi Manibus mortuae. Variis rebus praetextis revera ei contigerat, ut uxorem inhiberet, ne se illuc comitaretur.

Sperabat se hoc etiam in futurum facere posse. Uxor enim nesciebat, quo sibi esset proficiscendum, ut *"capannam"*, cuius ne numerum quidem sciebat, inveniret.

Eo quod Thilus spatium temporis sibi promptum sciebat religiose distri-

buere inter viventem et mortuam, ipse se conscientia morsum reapse tranquillabat.

Saepe quidem, praesertim momentis, quibus solus memoriae devotus cum mortua erat coniunctus, Thilus luce veritatis videns, qualis nunc ipse esset, taedio afficiebatur sui ipsius.

Quandocumque officio fungebatur diurno, cum spiritu mortuae non communicabat nisi recordabatur multas res iucundas, quas una cum illa expertus erat. Sed in tenebris, si aer procellis nivosis per pinus trans ferriviam propellebatur, nocte intempesta e custodis casula lumine lanternae illuminata factum est sacellum.

Photographemate uxoris mortuae decolori in mensa sibi proposito, libris cantionum atque precationum apertis, vicissim recitabat et cantabat interdum per totam noctem, non interruptus nisi traminibus per intervalla praetercurrentibus, quo animus eius tam vehementer excitaretur, ut putaret a se spectari mortuam ipsissimam.

Custodia autem, qua Thilus iam decem annis integris continuo functus est, dissita et remota cum esset, apta erat ad fovendam custodis pensionem mysticam.

Capanna versus omnes venti directiones ab omni habitaculo humano dis-iuncta itinere minimum dodrantis horae sita erat media in foreste, proxime ad transitum ferriviae, cuius cancelli custodi erant administrandi.

Aestate dies, hieme septimanae praeteribant, quin quivis pes humanus, excepto custodis eiusque collegae, hanc ferriviam praetergrederetur. Hac in vasta solitudine fere nihil variabatur nisi tempestas temporaque anni.

Ceteri eventus (exceptis duobus infortuniis), quibus solitum negotium Thili interruptum erat, facile in uno conspectu poni potuerunt. Quattuor annis ante praetercurrerat Imperiale tramen extraordinarium, quo Imperator Vratislaviam vectus erat. Nocte quadam hiemali tramine citato capreolus erat obtritus. Die aestatis aestuoso Thilus ferriviam recognoscens invenerat lagoenam vini cortice subereo obturatam, quam fervidissimam putavit continere vinum valde bonum, quia cortice remoto ebullivit instar scaturiginis, ergo fermentatum esse apparuit. Quae lagoena a Thilo in margine lacus silvestris vadoso deposita, ut refrigereret, inde quoquo modo ablata erat, quod custos doluit annis quoque post.

Custos quadamtenus tempus terere poterat puteo post casulam sito. Inde interdum operarii ferriviarii aut telegraphici in propinquo laborantes hauriebant aquam potandam, qua occasione scilicet intermissum esse

breve colloquium. Saltuarius quoque interdum adveniebat, ut sitim ex-pleret.

Tobias lente tantum crescebat; secundo demum anno aetatis suae didicit aliquatenus loqui et ire. Patrem autem a se eximie diligi demonstrabat. Quo prudentior factus est, eo magis patris amor vetustus est resuscitatus. Quo magis pater amavit Tobiam, eo minus idem amatus est a noverca sua, immo amor eius mutatus est in aversionem manifestam, cum Lena proximo anno praeterito ipsa peperisset puerum.

Inde Tobiae incohatum est tempus malum. Qui praecipue patre absente iterum iterumque vexabatur et cogebatur, ut ne minima quidem mercede vires suas exiguas adhiberet infantuli clamosi gratia, quo magis magisque consumeretur. Eius caput insolito auctum est; capilli igneo rubore et facies cretacea albedine parum erant conspicui, addita reliqua staturae forma flebili perquam miserabiles. Tobias parum adolescens tali cum esset statura, parvo fraterculo praevalido bracchiis imposito si corpus suum fessum trahebat ad Spraviam, homines solebant conviciari, sed hoc non ausi sunt nisi post casarum fenestras. Thilus autem, ad quem ipsum haec res spectabat, videbatur eandem non animadvertere neque intellegere res sibi a vicinis benevolis indictas.

Nicolaus Gross
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars altera in proximo libello sequetur!)

Vocabularium breve verborum rariorum recentiorumve

acicula,-ae f.: orig. (Kiefern-)Nadeln

agger,-eris m. (ferriviae): orig. Bahndamm

antiae,-arum f.pl.: cfr OLD s.v., p.141: "Locks of hair that hang in front."

areola arenosa: orig. Plattform

astyphylax,-acis m.: orig. Gendarm, cfr ngr. □stufælaj

atmosphæra,-ae f.: orig. Atmosphäre

***atro-viridis,-e:** orig. schwarzgrün

***Berolinum,-i n.:** orig. Berlin

+boto,-onis m.: orig. Knopf

***cafea,-ae f.:** orig. Kaffee

campana signalis: orig. Signalglocke. CfrHe.504, s.v. Signalpfeife: fistula signalis

cancelli,-orum m.pl. (ferriviarii): orig. Barriere (= Bahnschranke)

capanna,-ae f.: orig. Bude

cappa * Fessana: orig. Fez
carrus carbonarius: orig. Tender
casa/-ula custodiaria: orig. Wärterhäuschen
cataplasma,-atis n., frigida -ata: orig. kalte Umschläge
chiramaxium,-ii n.: orig. Kinderwagen
clavis mechanica: orig. Schraubenschlüssel; Schraubenschlüssel
cochlea,-ae f. (= +verula,-ae f.): orig. Schraube
concentus bombisoni: orig. summende Akkorde
crepare,-o,-ui,-itum: orig. verrecken
crusculum,-i n.: orig. Beinchen
***cyanoleucus,-a,-um:** orig. blauweiss
denticulus,-i m.: denticuli subtiliter texti: orig. feingeklöppelte Spitzen
diaeta,-ae f.: orig.: Coupé (Eisenbahnabteil)
dolabra culinaris: orig. Küchenbeil
dux traminis: orig. Zugführer.
embolus,-i m.: orig. Patrone
excetra,-ae f.: orig. "Tier" (= "Hausdrachen")
***ferrivia,-ae f.:** orig. Eisenbahn
***ferrivarius,-a,-um:** orig. Eisenbahn-
+forestis,-i f.: orig. Forst
friare,-o,-avi,-atum: orig. auseinanderbröckeln
***fumisugium,-ii n.:** orig. Tabakspfeife
gerrae!: orig. Unsinn! (= Quatsch!)
***granites,-ae m.:** orig. Granit
***graniticus,-a,-um:** orig. Granit-
+griseus,-ea,-eum: orig. grau
icterinus,-a,-um: orig. gelbsüchtig "- gelbstichliges Zifferblatt = icterina tabula horaria.
imber, imbris m. (metaphorice): orig. Münzen regnen aus den Fenstern.
incantamentum,-i n.: orig. Beschwörungslied
lacca sigillaria: orig. Siegellack
lacticulosus,-a,-um: orig. Grünschnabel
lentitudo animi: orig. das Phlegma; die phlegmatische Unempfindlichkeit, - Gelassenheit, - Gleichgültigkeit
***libellula,-ae f.:** orig. Libelle
libellus comparsorum: orig. Sparsbuch
machina vectoria: orig. Lokomotive
macula retiaria: orig. Netzmasche
magister *ferriviae: orig. Bahnmeister.
magister sarcinarius: orig. Gepäckmeister
malus *telegraphica: orig. Telegraphenmast/-stange
***telegraphicus:** telegrafisch
megaera,-ae f.: orig. "das Mensch"
mercator itinerarius: orig. Handlungsreisender

merenda,-ae f.:"(mereo), das Vesperbrot, das zwischen 4-5 Uhr nachmittags genossen wurde"
Nosocomium Caritatis: orig. Charité
nosocomus,-i m.: Krankenwärter
***novellisticus,-a,-um:** orig. novellistisch
obiex, obicis c. (ferrivarius/a): orig. Block
custos obicis: orig. der Wärter am Block (= Blockwärter)
ochima,-atis n.: orig. Waggon; Eisenbahnwagen
orbita,-ae f. (ferriviaria): orig. (Eisenbahn)gleis
pala,-ae f.: orig. Spaten
pavicula,-ae f.: orig. Bolzen
pera,-ae f. embolorum: orig. Patronentasche
phy! : orig. Pfui!
phylaca,-ae f. inquisitoria: orig, Untersuchungsgefängnis
pileolus villosus: orig. Plüschmützchen, Pudelmützchen
pipula salicea: orig. Weidenpfeifchen
praedicator,-oris m.: orig. Prediger
praeterfluere (alqs alcs sermonem sinit -): orig. Die endlosen Predigten seiner Frau ließ er gewöhnlich wortlos über sich ergehen.
puer lactans: orig. Säugling
quadra panis +butyrata: orig. Butterbrot
ramentum sulphuratum: orig. Schwefelholz
ramices rumpere: orig. sich die Plauze ausschreien
regula,-ae f.: orig. Schiene
sebacium,-ii n.: orig. Talglicht
+Silesia,-ae f.: orig. Schlesien
+Silesianus,-a,-um: orig. schlesisch
+Spravia,-ae f.: orig. Spree
statio custodiae: orig. Posten des Wärters
studiolum,-i n.: orig. Studie
tabula horaria: orig. Zifferblatt
***telegraphicus,-a,-um:** orig. Telegraphen- , telegraphisch
***telegraphice (adv.):** orig. telegraphisch (adv.)
***tendo, tendinis f.:** orig. Sehne
thoracium,-ii n.: orig. Mieder
***Tobiolus,-i m.:** orig. Tobiaschen
tramen, traminis n. (ferrivarium): orig, (Eisenbahn)zug
tramen citatum: orig. Eilzug
tramen commune: orig. Personenzug
tramen rapidum: orig. Schnellzug
tramen silicum: orig. Kieszug
Vratislavia,-ae f.: orig. Breslau
zinzilulo,-are: orig. zwitschern

Volkshochschule Inzigkofen

Latinitas viva

a d. 9 – ad d. 14 m. Oct. A.D. MM (9.-14. Oktober 2000)

His scholis, si quis umquam Latine didicit, veterem doctrinam ei renovare licebit et cognoscere, quae sit illa *'dulcedo et sonoritas'* Latinae linguae, quam Franciscus Petrarca olim admiratus est. Curabimus enim, ut quam plurimum Latine loquamur et cantemus. Et quoniam Martinus Lutherus ipse *'peccare fortiter'* homines iussit, omnibus peccatis et vitiis veniam dabimus. Etiam tacere, si quis maluerit, licebit. Gratissimus erit, qui instrumentum musicum secum adduxerit; nam, ut Euripides ait *'Amor docet musicam'*.

Agemus autem de pronuntiatione Latini sermonis, i.e. de singulis litteris, syllabis, verbis etiam de versuum docta modulatione. E scriptoribus maxime Ciceroni, Catullo, Horatio, Vergilio, Senecae operam dabimus. Ceterum modos a musicis novis ad veterum carmina compositos audiemus. Libellus, qui varia scripta notulasque musicas continebit, fere duabus septimanis ante scholarum initium ei mittetur, qui petiverit.

Venite! Gaudete! Valete!

Gubernabit scholas **Valahfridus Stroh (Prof. Dr. Wilfried Stroh)** de Universitate Monacensi.

Pro scholis (et libellis) solvenda sunt DM 230.-,
pro lecto cibusque DM 315.- (in conclavibus binorum lectorum),
DM 365.- (in conclavibus singulorum lectorum).

Volkshochschulheim Inzigkofen
Parkweg 3
D-72514 Inzigkofen

Telephonum: 0049 / 7571 / 7398-0 Fax: 0049 / 7571 / 7398-33

Cursus electronicus: vhs-heim-inzigkofen@t-online.de

- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenk-abonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Rosenweg 7
CH - 8353 Elgg


PP/Journal

4702 Oensingen

1/2000

IDIBVS IVNIIS

MM



RVMOR VARIVS



TOMVS 23

FASC. 132